

**S**YMP TOMATA quædam sunt, quæ quoniam morbum necessariò sequuntur, nullam peculiarem tractationem in consultationibus requirunt; utpote quæ tanquam signa considerentur; alia verò sunt, quæ morbi vehementiam, morem, & nonnullas alias differentias comitantur: quæ quum vehementer ægros urgent, medici operam sibi peculiarem postulant; de quibus in consultationibus vel separatim, vel quum de morbis, quibus hæc sunt coniuncta, agimus, dicendū est. In quibus illud est obseruandum, quod paulo antea de morbo notandum esse diximus. Nam imprimis symptomatis, de quo agimus, natura, deinde genera explicanda, postea verò differentia commemoranda, quærendæque causæ; ac postea videndum quid præ sagiant futurum. Postremo tradenda ratio est, qua leniri, abigi que valeant. Quæ omnia suo loco docebimus. Nunc enim ea, quæ ad naturam, genera, & differentias symptomatum pertinent, quæque de his in consultationibus dicere oportet, solum tradere institui. Sunt porò symptomatum omnium duo genera actio inquam læsa, & opus præter naturam. Actio quædam naturalis, alia vitalis, alia animalis. Opera, quæ inter symptomata ponuntur, quædam ad qualitates corporis, quæ secundæ vocantur, pertinent (nam primæ morbos cōstituunt.) Alia ad excrementa, alia ad humores referuntur. Ac in vnoquoque symptomate genera mali, ut diximus, expendenda. Veluti si actio est, de qua agimus, videndum est, an sit abolita, debilis, aucta, siue corrupta, aut tristis. Id quod perspiciet, & probabit eo intellecto, quod sub vnoquoque vitio continetur: de qua re nos in libro nostro de generibus, & differentijs symptomatum abundè & diligentius fortasse, quàm alij, qui hæcenus scripserunt egimus; vbi docuimus debilem vocari functionem, quæ nunquam, vel longiore tempore perfectionem operis sui assequitur, vel illud ob infirmitatem intermittit, aut confusa est, aut paulatim agit, quæ confertim sunt obscunda, vel post iustum tempus opus aggreditur: vel minor est, vel segnius agit, posteaquam rem est aggressa, vel rarius facit, quod sæpius fieri oporteret. Deprauatam verò intelligimus esse, quæ ignorat an agendum sit, vel non percipit res, quales sunt, vel rem vnam pro alia facit, vel corruptam qualitatem rebus inducit, vel inordinata est, aut intercepta, vel alio modo inæqualis, quæque per partes obitur, per quas non debet, aut certè per eas exercetur, quæ suam figuram haudquaquam seruant. Pertinent ad tristem, & præter naturam iucundam actionem dolor, & voluptas, aut certè huiusmodi operationem hæc tanquam passiones sequuntur. Cæterum ad auctam actionem contraria vitia spectant his, quæ ad debilem pertinere sunt dicta. Iam verò abolitam functionem intelligimus, quæ vel nunquam restitui potest, aut quæ sensibus abolita apparet; omnem tamen potentiam redeundi ad naturalem statum haudquaquam amisit. Itaque si fortè de soporosis affectibus dicendum sit, adfert medicus sibi proponi symptoma actionis animalis, nempe sensitivæ facultatis, quod quidem est in excessu quodam, & proinde in actione aucta collocandum. Ac quoniam plurimæ reperiuntur in hoc genere differentia, proprias explicabit, an scilicet lethargus sit, vel coma, aut cataphora, uel carus, uel catoche, siue catalepsis; inuentaque propria differentia generaliore alias deinceps quæret, quæ in singulis affectibus reperiuntur. Veluti si coma fuerit, docendum erit, an illud sit profundum, uel uigilans, aut quòd tenues somnos habet, & sic de reliquis. Quòd si hæc ad genera potius referre velis quàm ad differentias, relinquentur iam differentia explicanda. Notandum enim erit in sopore, an continuus sit, an potius per interualla urgeat, an grauis, uel leuis, an solus, uel cum alijs effectibus coniunctus, an certis periodis repetat, an potius temere inuadat. Quo item tempore morbi, & accessions magis urgeat, minuatur, uel desinat; etsi quæ alia reperiuntur in singulis utiles differentia nequaquam illæ sunt prætermittendæ. Eodem pacto si de dolore fortè agendum sit, quoniam in controuersia ponitur an actio sit, & ea deprauata, poterit medicinæ professor discipulorum adstantium gratia quædam de hac re diligentius in consultationibus proferre, ut quod uerissimum, & exactum in re tandem intelligatur. Ac ne in nomine diutius hæreat, imprimis explicabit, quonam modo doloris nomen uelit; an scilicet pro dispositione dolorifica, an uerò pro dolore ipso; prout scilicet omnes communi quodam conceptu dolorem intelligunt; errareque illos docebit, qui dolorem nunc pro actione, siue actu, quod dolemus; nunc uero pro eo, quod sequitur actionem, sumi putant; quum duæ priores ille significationes duntaxat apud Philosophos, & medicos reperiantur: fingi quidem potest aliquid in hac re: aut similitudines quasdam adferre licet, non tamen propterea ostendere unquam illi poterunt dolorem sumi pro actu, quo dolemus. Non enim si aliud quidpiam dupliciter dicitur, ita licet ex illo efficere doloris quoque nomen duplici eo modo sumi; quando non ex similitudine duplices significationes, sed ex usu loquendi mutuandæ sunt. Quod si concedere uelimus alios auctores eo modo dolorem usurpasse; illud certè nunquam ex Galeni opinione ostendent, qui in multis Commentarijs Aphorismorum, & ex doloris differentijs, & remedijs, ac causis, aperte testatur non aliter se doloris nomen intelligere, quàm uel pro dispositione dolorifica, aut pro eo, quod uoluptati opponitur. Quòd si ita est, temerè ille defenditur, quum reprehenditur, eo quòd dixerit dolorem esse actionem læsam, quum sit passio, & molestia, quæ actionem læsam sequitur, aut quæ in ipsa actione

actione